

## DISPUTATIO POLITICA.

DE

## MAGISTRATU,

QUAM

Assistente Divina Gratia, & consensu Amplissimæ  
 facultatis Philosophicæ, in Regia Academia  
 Aboënsi,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Reverendi &amp; Præclarissimi,

DN. M. MARTINI MILTOPÆI,

In dicta Academia Eloq. Professoris publici ut & Ec-  
 clesiæ DEI quæ in Dactis colligitur, Pastoris Vigilan-  
 tissimi, Præceptoris & Promotoris sui  
 pl. honorandi,

*Pro honoribus in Philosophia summis, publico eruditorum  
 examini & censura modeste submittit.*

JONAS M. ANGELIUS W:<sup>a</sup> Smo-  
 landus. Alumnus Reg.

*In Auditorio Maximo, ad diem 29. Nov. Anni 1673.  
 horis ab octava antemeridianis.*

A B O Æ,

---

Excusa à PETRO HANSONIO, Acad. Typogr.

SERENISSIMÆ REGIÆ MAJESTATIS  
FIDELISSIMO VIRO,

DN. ANDREÆ KROK,  
Regii Judicij in magno Finlandiæ  
Ducatu quod Aboæ est Adseffo-  
ri Amplissimo, Districtus in Kym-  
menegårdh Justitiæ directori æquis-  
simo, Nec non in Baronatu Ras-  
burgensi vice legifero laudatissi-  
mo, nutritio ut propensissimo,  
ita quovis pietatis Zelo & ob-  
servantiæ cultu æternum  
prosequendo:

*Disputationem hanc solennem, ingrata men-  
tis, prompta pietatis, & sempiterna ve-  
nerationis testimonium, reverenter sub-  
misse & officiose offert,*

AUTHOR & RESPONDENS.

*Amplissime & Consultiissime* D O M I N E

A D S E S S O R, *Patrone spectatissime.*

**D**eliberanti, cui maxime Differtatiunculam hanc de Magistratu obiter conscriptam oblatum irem; subiit extemplo mihi singularis *Amplitudinis Tuæ* quomae es amplexus favor, quem ipsemet toto hoc sexennii spatio expertus sum, dum filiorum tuorum optimorum insigniterq; literis incumbentium curam egeram & munus informandi obiveram. Ut igitur eo testatior esset beneficiorum *Amplitudinis Tuæ* memoria, hoc argumentum gratitudinis relinquendum judicavi. Quamquam vero meritis pares grates nec agere nec habere possim; tamen cum prona potius voluntas, quam eventus respici soleat, volui harum pagellarum dedicatione ostendere debitam pietatem & promptissimum animi obsequiosi affectum: non ea tamen intentione, ut benignitatis *Tuæ* in me merita compensata existimem, sed ut aliquod indicium gratitudinis relinquam. Quo vero hocce qualecunque meum exercitium, pro tuo in universum literarum, literatorumque ordinem favore & vultu benigno & animo sereno accipere digneris, officiosa mente precor, & pias preces pro *Tua* tuorumque incolumitate ex intimis animi mei recessibus & fundo, & faciam id donec vixero. Bene & feliciter Vive & Vale.

*Ampliss: & Consultiiss: DN. ADSESSORI*  
*ad observantiam paratissimus,*

JONAS ANGELIUS.

# P R Æ F A T I O.



*U*as potissimum Causas esse societatis huma-  
*næ, unanimi philosophorum consensu colligi*  
*potest; quarum una positiva est, videlicet*  
*conversandi naturale desiderium ab ipso crea-*  
*to*re homini inditum, juxta illud Aristotelis: ζῶν τὰς πο-  
*λιτικὸν τῇ φύσει ἐστὶν ὁ ἀνθρώπος, in quem quoq; finem homi-*  
*ni sermo tributus est, ut animi sui sensa rite exprimere*  
*valeat. Altera privativa est, Indigentia; Nam ab or-*  
*tu alieni auxilii Ἔ opis indigus existit, ut vix ullum vi-*  
*tæ tempus inveniatur, quo sibi ipsi sufficiens sit. Ut igitur*  
*societas hæc magna ex parte à natura ortum trahit,*  
*ita ordini bono sui conservationem [debet; nam sicut in*  
*ipso homine anima in corpus dominatur, Mens in appe-*  
*titum; ita in sociali hominum vita adeo necessarius est*  
*ordo summaq; imperandi potestas, ut sine ea nulla socie-*  
*tas existere possit. Quippe quæ anima est Ἔ spiritus ille*  
*vitalis quo tota vita civilis conservatur, fovetur Ἔ viget.*  
*Placuit idcirco hac vice, publici examinis loco, ingenii vi-*  
*res experiri in Themate hoc illustri quod Magistratus no-*  
*mine venit, quo tota conservatur societas humana, Ἔ in*  
*vita civili nihil æque observationem meretur quam hujus*  
*rei Axioma Ἔ eminentia. Facile igitur instituti mei ratio-*  
*nes candido lectori probavero, qui jussu superiorum Ἔ ex*  
*officio hoc aggredior.*

DISSERTATIONIS  
DE  
MAGISTRATU

THESIS I.



**M**agnam Magistratus esse eminentiam & Authoritatem, inficiari nemo potest qui ejusdem necessitatem in vita Symbiotica exactiori judicij lance expenderit. Nam inter ea quæ civilem vitam conservant, quæq; à Cultoribus artis civilis summis efferuntur encomiis, primas sibi meritò vendicat, Magistratus seu suprema in ordinatione Civili potestas, cujus vox & appellatio sola, magnum quid, Sanctum atq; venerandum innuere videtur, quod non solum Cicero & alii, sed Salomon etiam inter omnes quos vidit terra Reges sapientissimus suo comprobabat Calculo, sine Magistratu homines sunt oves sine pastore, & corruiit populus ubi non est gubernator seneca l. 1. de clem. c. 4.

II. Dari igitur Magistratum cum extra controversiam sit, transitum ad quæstionem quid sit faciamus, discussa tamen prius vocis ambiguae perplexitate quæ erroris generatrix esse solet, levi tantum digito ejusdem vocis etiam Etymologiam tangendo.

III. Vocem Magistratus à Magistro derivant *Au-Etymo-*thores, quod Moderari vel gubernare significat, quo *logia.* nomine etiam dictator, qui summam apud Romanos potestatem habuit, honorabatur. Magister dictus, quod plus cæteris præfuit, teste Cælio lib. 7. antiq. cap. 17. vel

à Magis persarum sapientibus. Cic. 1. de leg. Videtis Magistratus hanc esse vim, ut præsit, præscribat recta & utilia conjuncta cum legibus.

*Homonym:* IV. Enodata sic Etymologia, Homonomiam subjungimus; Nomen Magistratus sumitur vel abstractè & formaliter pro officio & potestate civili à Deo ordinata ut Rom. 13. v. 1. 2. 1. Maccab. 8:16. Vel concretè & Materialiter, pro persona quæ officium illud & potestatem exercet: Deut. 16. 18. 1. 22. 11. Nehem. 2. 16. posteriori hac significatione iterum bifariam accipitur: 1. pro quolibet qui habet potestatem summam, 2. pro quovis qui habet potestatem subordinatam, seu pro Magistratu quæ summæ potestati subjicitur. Nos vero nomine Magistratus primariò intelligimus eum qui potestatem sine superiore possidet, per alios inferiores suum imperium exercitur, quorum magna est latitudo & analogia in diversis rebus publicis.

*Synonym:* V. Synonymiam quod attinet, variæ sunt appellationes, quibus Magistratus in sacris insignitur, utpote: Domini, Gen. 45. 8. Illustres & Magnifici, Jud. 15. Duces, Gen. 36. 15. Dii Exodi 22. 28. Psalm 81. 1. Filii excelsi, patres Gen. 41. 43. Clypei Psal. 47. 11. pastores Esa. 44. 28. Zach. 10. 2. Salvatores Jud. 3. 9. Reges, principes, imperatores, Cæsares, apud Romanos patres conscripti Nutritii Ecclesiæ, fundamenta terræ, unde necessitatem pariter ac dignitatem hujus ordinis facillime æstimare poteris, ut probe Chryostomus indigitat Comment. in cap. 13. ad Rom. Hisce ita prælibatis, ad definitionem, realem Accedamus.

*Def.* VI. *Magistratus est persona publica, potestate legitima ad bene regendam Remp. instructa.* Licet varias à politicis Magistratus Definitiones dari non ignorem; utpote

utpote Jacobus Martini, definit eum per potestatem ordinariam, Epiphanius per potestatem mundanam, Arist. l. 4. pol. 15. per partes, quæ scilicet jus habent de quibusdam deliberandi, judicandi & imperandi. Quæ definitio à Bodino est reprehensa, quod videbatur excludere omnes illos à Magistratus munere ac dignitate qui non essent consiliorum publicorum participes, quanquam ne id quidem Aristoteles intendit. Accipit ergò illa collectivè Bodinus quæ distributivè sumi debebant.

VII. *Causa efficiens Magistratus seu Autor, Causa est summus rerum arbiter DEUS ter. opt. Max. à Eff.*

quo omnis potestas Rom. 13. 1. per quem Reges regnant & potentes decernunt justitiam prov. 8. 15. 16. 17. qui velimè mediatè & extraordinarie ordinat, heroicisq; donis Magistratum instituit, ut: Mosen, Othonielem, Gideonem, Davidem &c. vel ordinarie & mediatè, tum per electionem & suffragationem populi; sive totius, sive optimatum; tum per successionem hæreditariam, quemadmodum vocavit Reges Israelitarum sive tribus Judæ; & hodiè Reges Sveciæ ac patriæ nostræ, inde usq; à temporibus Gustavi primi, ut & plerosq; principes imperii Romani: Causa secunda est vel remota vel propinqua: remota est ipsa natura, quæ est potestas Dei ordinaria, indicatq; in omnibus rebus opus esse ductore aliquo. Ideo Arist. l. 1. pol. c. 3. dixit natura quosdam ad imperandum effinxit, quosdam ad parendum. Propinqua vero homines Magistratum constituentes juxta leges fundaméntales cujusq; regni quocunq; modo, quibus jus eligendi est commissum. Tota ergo via errat Bodinus statuens Magistratum vi & latrociniis cœpisse, obstare tamen huic nostræ assertioni videtur dictum Osee cap. 8. 4. principes constituerunt,

& ego non novi. Verum *2.* 1. loquitur ibi propheta non de re sed rei circumstantia, hoc est, non de Rege ut Rege, sed ut erat rebellis, sive non de potestate sed potestatis vitio & abusu? *2.* non novit: Notitia scilicet approbationis.

Causa  
Materialis.

Bona  
Animi.

VIII. *Materia in qua seu subiectum, est persona publica, cujus opera Deus utitur in politiæ administratione, in quâ commendantur tria ab Aristotele, Bona scilicet animi, corporis & fortunæ. Bona animi requirunt virtutes cum omnes/quoad fieri potest, tum vel maxime pietatem, hanc enim plato in Magistratu eligendo requirit 1. 3. de LL. pietati eum sese dat Magistratus, duos istos qui circa eam sunt Scopulos studiosè evitat, scilicet superstitionem & impietatem, quarum utraq; Reip. pestis est; Respectu sui ipsius sive Magistratus, potissimum requiruntur. 2. *Temperantia*, nam qui voluptatibus ducuntur, & cupiditatum lenocinijs sese dederunt, missos facere honores nec attingere Remp. debent. Cic pro Festo, 2. *Castitas*, ut non solum Corpus ab omni macula purum conservent, sed etiam occasiones ad impudicitiam ducentes, perpetuo devitent. 3. *Magnanimitas* ut neq; perturbationi animi, nec fortunæ succumbat. 4. *Fortitudo* quæ alias munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile dicitur senecæ Epist. 113. Magna & eximia hæc virtus est, sublimia quærit receptacula, excelsos fovet Spiritus, unde summo in pretio semper fuit fortitudo, quo nomine patriæ nostræ Charissimæ gratulamur, quæ tot & tantos progenuit Heroas hac virtute præstantes; qua de re loquuntur omnium temporum Annales, decantant patriotæ, admirantur exteri; & obstupescunt; quos hic sacro silentii velo potius hac vice honorandos existi-*



exillimo, quam gloriam illorum ingenii culpa deterere.  
 5. *Modestia* ne ob fortunæ indulgentiam rerumq; bona-  
 rum affluentiam luxuriet. Resp. Aliorum sunt admo-  
 dum necessariae 2. *Prudentia* quæ officio Magistratus  
 fungenti; non minus convenit & illustrem reddit, quam  
 gemma auro inclusa, & rosæ quæ liliis intexuntur. 2. *Ju-*  
*stitia* exemplo Alexandri M. & Trajani. 3. *Clementia*,  
 sine qua justitia crux est dicente Diocetiano 4. *Fides*,  
 de qua Baldus: vox principis instar oraculi esse debet,  
 unum habens Calamum & unam linguam.

IX. *Bona Corporis*, sunt partim bona constitu- *Bona*  
 tio membrorum excellentium, de quo Cicero lib. 1. off. *Corpo-*  
 pag. m. 83. de Temp. his verbis: ut enim pulchritudo cor- *ris.*  
 poris apta Compositione membrorum, movet oculos, &  
 dilectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quo-  
 dam lepore consentiunt: Sic hoc decorum quod lucet in  
 vita; movet approbationem eorum, quibus cum vivi-  
 tur, ordine, & constantia, moderatione dictorum omni-  
 um ac factorum. Partim iusta ætas; In regno potissi-  
 mum Electivo partim sexus per se & ordinariè masculi-  
 nus, præcipuè in regno electivo & statu Polyarchico:  
 Fœmineus autem non nisi extraordinariè, si scilicet vel  
 nullus hæres masculus adsit, vel leges regni fundamen-  
 tales non repugnent, ut in Anglia, Svecia, Scotia, vel Fœ-  
 imina virtute Sexum suum superet: exemplo semiramidis,  
 Reginæ Asyriorum, & Elizabetæ Reginæ Angliæ, Chri-  
 stinæ R. S.

X. *Bona fortuna*, sunt partim opes, non quidem *Bona*  
 immensæ, quæ insolentiam excitant, secundum Arist. lib. *fortu-*  
 4. pol. 12. de quo decem legati Darii Regis persarum ut *na.*  
 in Curtii l. 5. c. 11. videre est: periculosum est prægrave

imperium, difficile est Continere quod Capere non possis, nimix opes magnæ jacturæ locum faciunt; Sed mediocres, quæ sunt rerum gerendarum nervi. Cum è contra paupertas sit magnus Reip. morbus, ut inquit plutarchus in lycurgo. Sciendum tamen hic dum sermo est de opibus, magis intelligi Magistratum Aristocraticum, velut apud Romanos nemo admissus erat, qui non per annos decem suis propriis bonis honestè vixisset Test. Val. Max. l. 4. c. 4. Non vero Monarchicum, cum omnia dicantur principis esse: 1. Ratione jurisdictionis & administrationis, quæ legibus est constituta & circumscripta, 2. Defensionis. 3. Annuæ pensionis. 4. Ultimæ successionis: non autem licentia rapiendi & prodigendi, velut Achab Nabotho vineam eripuit. 1. Reg. 8. partim Gens seu natio patria, ut sit indigena non alienigena, nisi necessitas, hoc est, perturbandi regni metus ortus: vel ex æqualitate procerû: vel imbecillitate & motu per indigenas facto: & virtus incomparabilis, præsidium peregrini requirant.

Objec-  
tum  
seu Ma-  
teria  
circa  
quam:

XI. *Materia Circa quam seu objectum, sunt res tum Civiles tum Ecclesiastica*, erit namq; Magistratus Custos utriusq; tabulæ, & aliarum rerum bene concordantium, & cum liquido constet seminaria Ecclesiæ esse scholas, Gymnasia & Academias, diligenter habebit pius Magistratus curam, ut sinceri doctores, Ecclesiis scholis & Academiis præsent, qui suos serio honestis disciplinis informent, atq; cum primis in orthodoxa religione, exemplo Regis, Josiæ, Josaphati, unde studiosa juvenus Reip. commodo habilis redditur ad munia publica Capessenda sive in Civili sive Ecclesiastico statu. Unde fit ut Resp. in quatalia studiorum exercitia florent, tuta adversus quosvis malignantium impetus permaneat.

XII. *Causa*

XII. *Causa formalis est legitima imperandi potestas.* Consistit namq; illa in iubendo, imperando & prohibendo, Arist. 4. pol. 16. Dixi legitima, quia ut à DEO hanc habet potestatem; ita etiam secundum reſtitutionis normam eandem adminiſtret oportet, non convenit Tyrannico modo regere, nec ſubditorum querere ruinam, ſed potius ut ſeveritas cum clementia Conjuncta eſſe videatur, quia nullum imperium eſt tutum quod benevolentia non fuerit munitum. Sunt & alii qui duplicem faciunt formam Magiſtratus, *internam & externam*, ad illam referentes Majeſtatem ejuſq; requiſita, ut ſunt:

1. *Summitas*, quod ſuperiorem poſt Deum agnoſcit neminem, ſed obſtat huic ſummitati ſeptemvirorum Auctoritas imperatori illam Majeſtatem deferentium. verum Reſpondetur, eſſe inſufficientem Cauſam, ſiquidem & populus eligit Magiſtratum quo tamen major non eſt.
2. dicitur ſumma reſp. naturalis Conditionis, non reſp. ſpecialis paſſionis. Sic nec ſumma ita abſolute ſumitur ut alicui liceat mutare quadrata rotundis, ſed reſtricta ad leges fundamentales.
3. *Perpetuitas* qua imperatores & Reges maxime à reliquis Magiſtratibus diſtingvuntur.
4. *Plenitudo*, non arbitrium aliquod vagum & licentioſum ſed legibus informatum & æquitate fundatum.
5. *Incommunicabilitas*, ita ut nulli ex ſtatibus regni hæc poteſtas ſit Communis.
6. *Indivifiſibilitas* ſcilicet quoad ipſam Majeſtatem, non quoad Jura Majeſtatis, quæ Communicari poſſunt cum ſtatibus.
7. *Immunitas*, ut ſit à legibus ſoluta, non quidem divini, neq; naturalibus, neq; fundamentalibus, ut quæ ſunt norma majeſtatem dirigens & reſtriciens, ſed Civilibus & quidem i. non directivè, ſiquidem

quidem & hæ ex naturalibus desumptæ sunt, sed Coactive, siquidem sponte ut omnes boni, ita & Magistratus facere præsumitur officium. 2. Non resp. obligationis sed executionis. 3. Non ordinariè sed extraordinariè quoties salus publica requirit, &c. Ad hanc videlicet externam formam referunt inaugurationem, quæ nihil aliud est quam solennis & publica alicujus principis renunciatio, consveto Cæremoniarum ritu, velut David à Samuele unctus legitur.

*Causa  
Finalis*

XIII. *Finis Magistratus præter gloriam Dei, est salus populi & subditorum, & in genere bonum publicum Rom. 13. Cic. 1. off. Magistratui non Civium servitus est tradita sed tutela.*

*Divi-  
sio:*

XIV. *Dividitur Magistratus ratione potestatis in summum & inferiorem. Ratione numeri in Monarchicum & polyarchicum.* A Definitione progredimur ad divisionem, ubi primum dicimus quod Magistratus variis modis, pro diversa rerump. Conditione dividi possit. Magistratus enim præcipuè inferiores dividi solent pro negotiorum numero & reip. magnitudine; negotia enim neq; numero ubiq; æqualia, neq; æqualitate similia sunt, nec omnes æquè amplæ & magnæ, imo eodem quantitatis & qualitatis respectu sæpius variantur. Unde fit, ut hoc respectu ordines Magistratum una eademq; divisione vix includi possint. Sic initio Reges Romani Contenti erant tribuno Celerum, quaestore, & absente Rege præfecto urbis, ut testis est Dionysius Halicarnasseus. Deinde autem crescente Republica, Magistratum numerus crevit, ut videre est ex pomp. l. 2. de orig. Juris. Æschines in orat. contra etesiphonem dividit Magistratus in χειρονομήτες suffragiis creatos κληρωτάς sorte factos, & ἀρετῆς electos; quæ

quæ accidentariæ sunt differentiæ, nec apud omnes observantur, præterea sunt adhuc plures, quas hac vice recensere non vacat. Est autem ut obiter id Commemorem; Cura Reip. vel universalis vel part. universalis quam Magistratus summus gerit, tam inferiorum Magistratum, quam reliquorum subditorum omnium. Particularis, quam cæteri Magistratû inferiores pro salute Reip. gerunt. Quod concernit alteram quam attuli divisionem, habet ea respectum ad varias. Rerum publ. formas, aut enim unus præcipuè pro dignitate & salute publica regni vigilat, unde Monarchia, ipseq; Monarcha dicitur, vel plures in societatem imperii admittuntur, unde polyarchia nomē habet, ubi iterum plures pauciores tamen & optimates præsent, unde oritur Aristocratia vel universis hæc cura incumbit, quæ Democratia vocari solet.

X V. Officia verò Magistratus quod concernit, illa *Officiū* in Ecclesiastica, politica, & œconomica dividi possunt. *Magist.* Officium ergo Magistratus Ecclesiasticum, ipsam reli *Eccle-* gionem concernit dum Magistratus curat ea, quæ ad *siast.* æternam subditorum salutem spectant, quod sit veræ religionis propagatione & collapsæ restauratione, ubi notamus obiter crassum esse errorem Bellarmini qui hanc curam Magistratui abjudicatam cupit. Interim tamen distingvere oportet, inter curam Ecclesiasticam internam & externam: Illa consistit in verbi Dei prædicatione, Sacramentorum administratione, & clavium usu, &c. Hæc vero occupatur circa res Ecclesiasticas & personas extra templum civiliter constitutas. Prior solis Ecclesiasticis in Ecclesia, posterior Magistratui politico etiam competit. 1. ratione cognitionis, ut religionem ipse probè cognitam habeat idq; mandato Dei Josuæ 1. 2. Directionis ut i. ministros dignos vocet, & indignos seponat,

non tamen ut Ecclesiæ membrum, sed ejusdem nutritius, Esa. 49. 2. Episcopos & Synodos. 3. Consistoria constituat. 4. Subditos Juramento ad veræ religionis cultum obliget exemplo Abasiæ Regis 2. Paral. 15.

*Officiū  
politi-  
cum.*

XVI. Politicum officium Magistratus est, quo curat ea quæ ad civilem subditorum salutem spectant. Suntque ea vel propagantia, quibus societates tam primas quam ortas à primis Magistratus propagat, ut familiæ quo celebriores eo majoris æstimentur, collegia conserventur, ut regnum vicis, & pagis abundet, Civitates floreat &c. Vel exornantia, quibus Magistratus studet omnia meliora & splendidiora reddere variis & speciosis ædificiis, templis, scholis, Xenodochiis. Vel deniq; Amplificantia, quibus Magistratus regnum rationibus honestis ac legitimis dilatare studet, ut emptione, justo bello, velut David suum regnum devictis philistæis quos sibi reddidit tributarios, extendit.

*Officiū  
Oeconomi-  
cū.*

XVII. Oeconomicum officium Magistratus est, quo curat ea quæ ad subditorum naturalem & vitam & salutem spectant. Et quoniam ad vitæ ingressum requiratur cura genituræ, idcirco è re est, ut curet quomodo personæ idoneæ matrimonium legitime contrahant Arist. 1. polit. 1. Hinc plato lib. 6. de leg. in Republica bene constituta primum de nuptiis leges ferendæ, & danda opera ut quisque non sibi jucundissimum, sed utile Reip. matrimonium contrahat. Deinde ut liberi non tantum parentibus sed imprimis Reip. nascantur. Alteri enim vivendum sibi qui vivere cupit. Ad vitæ progressum; 1. In doctrina, ut liberi subditorum utriusq; sexus rectè instituantur, scholis bene constitutis, exemplo C. Magni & Regum Sveciæ, 2. In disciplina, ut subditi omnis generis virtutes exercendo & vitia fugiendo famam bonam extendere possint, quæ

quæ curam animi concernunt; cura corporis in eo maxime consistit, ut Magistratus sollicitus sit de subditorum victu, erigendo granaria, asservando decimas & reliquias, constituendo præfectos tam superiores quam inferiores, qui sunt industrii & fideles exemplo Josephi. Item leges sumptuarias condendo, exemplo Romanorum, nec non inquirendo in ratione vivendi, & negotiatione hominum, exemplo Amasis Regis Ægyptij teste Herodoto. Tandem circa vitæ egressum, Magistratus curare debet 1. ut remotis obstaculis & conditis testamentis novissima subditorum se recte habeant 2. Ut defunctorum corpora honesta sepultura afficiantur, servato tamen discrimine inter facinorosos *ἀνοχέους* aliosq; nefandæ improbitatis homines, ne eodem loco cum honoratis & piis sepeliantur. 3. Et ultimo ut sepulchra sancta & inviolata habeantur, juxta legem quæ habetur in Jure Civili ff. l. 17. tit. 12. Possent adhuc plura de illustri hoc argumento addi, nisi & studium brevitatis, cui nos addiximus, obstaret, & instituto, si minus voto, satisfactum esset. Tantum E. pro ingenii modulo de hac materia dixisse sufficiat, Tibi O æterna sapientia, Rex Regum & Domine Dominantium, primo Magistratus Authori & protectori perpetuas laudes dico, ex intimis recessibus animi & cordis, optoq; & voveo, ut Serenissimo & potentissimo Regi nostro, Magistratui summo, sine fine benedicere, ac dulcissimam patriam nostram ab omnibus periculis tueri & defendere velis, ac Remp. nostram perpetuo conservare.

TIBI DEO SOLI GLORIA.

# QUÆSTIONES.

1. *An Magistratus politicus sit à Deo? Affr.*
2. *An aliquis bona conscientia Magistratum gerere possit? Affr.*
3. *An ad Magistratum politicum pertineat aliqua rerum Ecclesiasticarum Cura? Affr.*
4. *An Magistratus diversarum religionum exercitium tolerare in Republica debeat? N. D.*
5. *Potest ne Magistratus subditos ad fidem Cogere? Ngr.*
6. *Utrum Magistratui impia precipienti, sit obediendum? Ngr.*
7. *An improbus Magistratus sit à Deo? Aff. D.*
8. *An Filius Regis, primo loco post regnum adeptum natus, excludat à successione primogenitum ante collatam dignitatem Regiam? Ngr, Dist.*
9. *An foemineus sexus in dignitatem imperii adsumendus? Affr. Dist.*
10. *An status regni Sveo-Gothici sit Monarchicus? Affr.*



Præstantissime Dn. JONA ANGELI, Philosophiæ  
CANDIDATE meritissime, Sympatriota & amice  
plurimum colende, Pro gradu disputature  
Salve!

**U**T segtem canas cum jam protrudit aristas,  
Florentem rodit Cantharis, utq; rosam;  
Sic quò celsa magis transcendit ad æthera virtus,  
Huic fors esse magis tantò onerosa solet.  
Ast radiante polo veluti præcedit euntem,  
Umbra vel invitum, subsequiturq; comes:  
Sic præcedentem sequitur, sic prævia & antea  
Gloria virtutem duxq; comesq; tuam!

L. q;

ENEVALD. SVEN. q. g. a. SS.  
Theol. D. Prof. & Pakt.

---

*Elegantia morum & liberalibus studiis Politiss: Viro Juveni,*

DN. JONÆ ANGELIO, Alumno in hac Academia  
Regio, & Philosoph. Candidato Meritiss Amico per-  
lecto, studiorum Philosophicorum Specimen ce-  
denti in publicum, gratulari voluit;

**Q**ui multis fueras Musarum cultor ab annis  
Angeli, assiduo est cognita Cirrha tibi:  
Inde refers magni modo præmia certa laboris,  
Et capiti Phæbus laurea ferta parat.  
Quèus datur innocuos per compita nostra triumphos  
Ducere & in montis vertice adire Deas.  
Insomnes igitur noctes duxisse juvenia  
Pœnitet hand multas: nec oleum aut operam  
Perdideras: dabitur tibi laudis adorea magna,  
Et patria cathedris forte præesse Schola.

*Vel quod erit majus, sanctis infundere Christi  
Cantibus, è sacris cœlica verba librò.  
Sic pietas, candorq; tuus, moderatq; vita  
Laude sua in terris eminet inq; polo.*

Subitò fufis versibus,

MARTINUS MILTOPÆUS

Et. P. P.

MAXIMÈ desiderabilis est solida eruditio, & tutissimum senectutis viaticum, ut illi qui ipsam amplectuntur, non insipienti animo deficiant, sed recta ratione & viâ virtutis ac gloriæ conscendere culmen possint. Illa enim est ex qua prudens invenit undè sapientior fiat, bellator reperit undè virtute roboretur, Princeps accipit undè populos regat: nec est aliqua in mundo fortuna quam literarum non augeat gloriosa notitia. Quamobrem omnibus industriæ nervis in id incumbendum erit ut eandem justa cum veneratione ac curâ assiduè excolamus, nè ignorantia, corporis deliciarum, socordia ac vitiorum rubigine exedi nos patiamur. Sapientia enim suis alumnis qui nervos viresq; omnes intendunt ipsi lætam ac uberem messem adfert, & illos multis vitæ commodis auget & ornat. Quod & tibi Mi JONA ANGELI frater ac Sympatriota Per dilectè cultori ipsius indefesso obtingere sentio: & meritò, siquidem tu crassissimam ignorantia caliginem quæ mortalibus insidet, assidua rerum naturalium indagine perspicuo intellectus tui lumine discussisti; ac mentem præclara abstrusarum rerum cognitione ornasti. Gratulor E. tibi ex animo & te tuosq; ausus Divinæ tutelæ commendo, Divinam insuper Majestatem serijs implorans gemitibus ac calidis suspirijs, ut tibi ac tuo proposito benedicat ab alto. Vale feliciter & ut mihi semper cepisti favere, perge. Dabam Aboæ 17 Calend: Decembris Anno Salutis 1673.

*In certissimam, sinceri amoris tesseram  
de Magistratu eruditè differen-  
ti hisce paucis gratulabatur,*  
WILHELMUS P. Granberg.  
Smol. Svecus. Per-

*Pereximie Dn. ANGELI Philosophiæ Candidatæ  
meritissime, Frater nudis inter sinceros adfectibus.*

**A**Nimal homine morosius nullum est, nullum majore arte tractandum. Luxuriat brevi libertate, quantos ciet tumultus? quantas spirat tempestates? quanta jactat fulmina? Sonant imperia graviora, mox Marianas audies factiones, Sullanas proscriptiones, Catilinaras cœdes, & quid non? Reliqua rationis expertia, Equos loquor & Elephantos, tardiora item & ad contumelias miserasq; nata jumenta, nunc nimiam sævitiam coguntur jugum detrectare, nunc rumpit eadem in longo otio iners sagina. Pariter & hominis natura in effusam licentiam effrenis est & lasciviens; dum imperatur durius, quavis feram immanior. Adsint igitur & præsent necesse est semper vitæ morumq; Rectores, quorum reverentia gignat quotidie in nobis peccandi verecundiam, alioquin extra leges virtutis tam subito, tam cupidè exerraturis. Felicitatem Rom. plebis nulla non admiratur ætas, suos quod habuerit Censores ac boni moris conditores. Ecce autem! Habuit & suos Dictatores, Consules, Patres ac Senatores, exempla frugalitatis exactissimæ, operæ laboriosissimæ, Sanctissimæ item justitiæ legumq; præsidia. Unde enim aliam tantulis ex initiis, tam vastum ac deniq; magnitudine sua laborans imperij excrevisset corpus, nisi vigisset justitiæ armorumq; studium, nisi tam in togam quam in sago suis disciplinæ semper fuisset locus? Quin & hoc nomine Patriæ nostræ merito gratulamur, neq; enim nobis desunt nostri Magistri, nostri Prætores, nostri Censores. Dabo, si cupis, in singulis ordinibus singulos Antistites notæ gravitatis, religiosæ pietatis. Eja! quam non temerè Regi nostro felix pollicemur imperium, donec non defuerint tanti tanti oneris molem operam suam levaturi scipiones! Hinc solida & mansura sperabitur Regni salus. Sed hæc quorsum. *Suavissime Frater? Ipse Magistratus*

natu.

naturam stilo ad Majestatem materię accommodatissimo, ut  
video, expressisti. O dignum Tuo ingenio argumentum!  
Videlicet tantos & quos summos habet Philosophia honores  
Capessiturus, thema, quo vim ingenij Tui explicares, nec  
invenire potuisti Magnificentius, nec eligere difficilius. Re-  
ctè; Facis quod Te dignum est. Heic habent quod boni lau-  
dabunt, quod carpent, mali non inveniunt. Agedum istum  
animi vigorem, rerum maximarum Capacissimum semper  
ad Te revoca & id sedulò age, Tibi ut vivas. Perge hoc  
quod ingressus es, depugnare certamen; nesciet nomen à li-  
teris quæsitum, cum corporis nostri Sarcinâ sepiliri. Ve-  
rùm quid ego Te ut pergas hortor? Nobiles equos, quorum  
generosam pernicitatem nemo unquam onere pressit, natu-  
ralis sua levitas excitat: virgula frustra admovetur. Ergò  
hoc tantum dicam. Vide, *anime mi*, ne in amore vincaris.  
In pugnâ veritatis & vincere & vinci utrumq; gloriosum est:  
De amore hoc idem nemo nisi temerè pronunciat. De cæ-  
tero Vale. *Musis sacramens!* & quos tanto sudore tot, mil-  
le vigiliis Tibi peperisti, perpetuò lætus perfruere honoribus!  
Me verò Candoris & inexpugnabilis Tui in me affectus ad-  
miratorem, ama, donec quid amare sit dedideris, & de-  
nuò Vale!

*Dabam è Musæo meo  
præpropere manu  
A. 1673. 12. Novemb.*

JOHANNES COLLIANDER  
Wexionensis,